



**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,
Societatis Iesv Theologi, Vniuersæ Theologiæ Moralis,
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non
Problematicæ Disquisitiones ... Volumen ...**

Virtvtes Theologicæ. Libro Triplici Fidei, Spei, & Charitatis materias expono

**Escobar y Mendoza, Antonio de
Lugduni, 1663**

C. 18. Circa Irregularitatem prouenientem ex defectu natalium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80695](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80695)

Sect. II. De Irregularitate, Dubia. 345

sección quinta, numero tertio. Sic D. Thom. in 4. distinctione vigesima septima, questione tertia, articulo tertio, Pal udanus ibi, questione quarta, articulo quinto, conclusionem quarta, Durandus questione quarta, Azorius parte secunda, libro quinto, capite vigesimo, questione secunda, Sanchez libro septimo, de matrimonio, disputatione octuagesima sexta, numero undecimo. Comitol. l. 1. q. 106. nu. 5. & 6.

¹⁷¹ Non potest. Minime potest. Quia in c. unic. de bigamia in 6. & in Tridentin. sess. 23. c. 17. expresse prohibetur bigamis usus, & exercitium minorum ordinum. Quia in lege, vtpote à Concilio lata nequit Episcopus dispensare, cum nulli bi habeatur, hanc ei esse facultatem concessam Ita Almandariz in addit. ad recopilat. legum Navarra l. 2. tit. 19. de foro compet. nu. 16. Garcia de benef. p. 7. c. 6. n. 5. Praxis nova Episcopalis p. 1. c. 1. num. 6. Francisc. Leo in thes. fori Ecclesiast. p. 2. c. 8. n. 16. Barbosa p. 2. de potest. Episc. alleg. 49. n. 25. iuncto n. 22. Layman. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 6. sine Bonacina tom. 1. d. 7. q. 1. pun. 5. num. 15.

¹⁷² Hoc affert. Est propter Doctorum auctoritatem prima sententia vt probabilis sustinenda sit, probabilior arbitror esse secundam, præcipue cum multis ex citatis pro ea Doctoribus, id à Sacra Congregatione fuerit declaratum.


DUBIUM XXVIII.

An in Bigamia similitudinaria possit Episcopus ad Ordines Sacros suscipiendos, illisve utendum dispensare?

¹⁷³ Non potest. Quia in cap. Ex litteris, el. 2. Qui Clerici, vel voverunt inquit Pontifex Subdiaconum contrahentem nuptias non esse admitendum in Subdiaconatu ministrare, neque ad vltiores ordines ascendere, nisi Religionem fuerit ingressus: ergo tollitur Episcopo facultas dispensandi in bigamia similitudinaria irregularitate. Sic nonnulli Doctores, quos pressio nomine indicat Palao de Cens. d. 6. pun. 8. n. 19.

¹⁷⁴ Potest equidem, Quia cap. De Diacono 1. Qui Clerici, vel voverunt, & cap. Sanè el. 2. de Cler. coning. dicitur: Officio suo relictui poterunt, & ex indulgentia sui Episcopi, eim executionem habere. Ita Toletus l. 1. c. 68. concl. 6. Suar. de Cens. d. 49. sect. 6. num. 18. Sanchez lib. 7. de matrimon. disputation. 86. numer. 20. Garcia de benef. part. 7. capit. 6. numer. 15. & alij plures apud ipsos.

¹⁷⁵ Hoc certum esse reor. Nam textus pro prima sententia allegatus loquitur de consilio, non de præcepto teste Glossa ibi. Abbas, & Alex. de Neuo in fine Innocent. n. vii. & alij. Sanchez autem aduertit n. 21. cum huiusmodi Clerico in Sacris constituto viduam ducente posse Episcopum ad beneficium simplex dispensare ex cap. Presbyterorum, distinction. 28.



CAPVT XVIII.

Circa Irregularitatem prone-nientem ex defectu natalium.

DUBIUM XXIX.

Si defectus Natalium occultus sit, excusaturne quis ab irregularitate?

¹⁷⁶ Irregulares sūt ij, quorum natiuitas à legitimo matrimonio, vel probabiliter existimato deficit: eaque de causa ex defectu natalium appellatur. c. 1. & fin. de filiis Presbyter. & c. Venerabilem. Qui filij sint legitimi. Quæserim itaque, an si hoc vitium occultum sit, excusetur quis ab irregularitate?

¹⁷⁷ Excusatur. Quia in c. Ex terrore, de tempore ordinato. criminofus notorius ab ordinibus suscipiendis repellitur, admittitur tamen peracta penitentia, si crimen sit occultum. Ergo ex crimine occulto non manat irregularitas. Certe si illegitimus reputatus legitimus irregularis censetur, cogetur suum vitium occultum saltem Episcopo, vel Pontifici, à quo impetranda est dispensatio, manifestare. At iniquum est, obligare quemlibet, vt seipsum infamet: ergo irregularis censendus non est. Sic Alphons. de Castro l. 2. de leg. pen. cap. vlt. concl. 3. Vincent. relatus ab Angelo v. homicidium 5. q. 1.

¹⁷⁸ Non excusatur. Quia textus in c. 1. & c. fin. de filiis Presbyter. absolute illegitimum ab ordinibus excludunt nulla distinctione facta de publico, vel occulto. Ita Nanar. sum. c. 27. nu. 201. Couarr. ad Clement. si furiosus. p. 2. §. 3. n. 4. Vgolinus de irregular. c. 44. §. 1. Azorius p. 2. l. 6. c. 3. q. 13. Auila p. 7. d. 3. d. 6. conclus. 1. Co-ninch. d. 18. dub. 12. initio. Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 5. n. 1. Bonacina tom. 1. d. 7. q. 2. pun. 3. n. 2. Hurtado de irregul. diff. 16. Sayrus lib. 6. thesaur. c. 10. num. 36.

¹⁷⁹ Profecto leuia sunt, quæ à Castro asseruntur fundamenta, vt à communi sententia tot Doctorum auctoritate obfirmata recedamus. Nam textus in c. Ex terrore excludit criminofum notorium ab ordinibus ob irregularitatem infamiae, quæ stante delicto occulto, nulla est, ac proinde nulla est irregularitas. Illud verò, quod adiciit Castro, vim tantum haberet casu, quo Ecclesia illegitimum reputatum legitimum obligaret ad ordines suscipiendos: At Ecclesia neminem obligat ad ordinum susceptionem, vnde si quis iudicat, se infamia afficiendum, dum se illegitimum proficitur ad dispensationem obtinendam, ab ordinum susceptione absteineat, ad quam cum non cogit Ecclesia.

DUBIUM XXX.

Cum dubium subest de alicuius illegitimitate estne reputandus irregularis. Vbi de filiis exposuitur.

180 **R**egularis reputandus est. Quia filios expositos esse illegitimos non est dubium, sed moraliter certum, cum raro legitimi exponantur. Sic nonnulli Doctores.

181 **M**inimè est reputandus irregularis, Quia semper in dubiis benigniora sunt preferenda: maximè cum in iure statutum sit, nullam irregularitatem contrahi nisi in casibus à iure expressis. *Is cui de sent. ex comm. in 6. At in iure expressum nō est ob illegitimitatem dubiam contrahi irregularitatem. Et quidem negari non potest, aliquando legitimos filios exponi ob parentum inopiam: fauore ergo eorum qui fortasse sunt legitimi, omnes legitimi reputantur. Ita Castro Palao tract. 13. de benef. disp. 4. p. m. 1. §. 1. fine, plures referens. Sayrus l. 6. thes. c. 10. n. 39. Coninch. d. 18. dub. 11. Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 5. n. 2.*

182 **D**e huius sententiae veritate non dubito, dum in c. 1. de infant. & languid. lego, eos infantes etiam si serui fuerint, effici liberos, & liberos fieri ingenuos. Quia ius Canonicum, & Civile intendit his quoad fieri possit, fauere, utpote omni subsidio humano destitutis. Illud est certum, Episcopum cum his dispensare posse, non quia in defectu natalium potestatem dispensandi habeat, sed quia hic defectus aliquo modo est dubius, ideoque ex episcopia censetur Episcopi subiectus potestate. Suarius d. 50. sect. 4. n. 4. Bonac. tom. 1. d. 7. q. 2. p. m. 3. n. 10. Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 5. fine.

DUBIUM XXXI.

Filius illegitimus dispensationem obtinens potestne aliud beneficium obtinere, primo relicto?

183 **R**ecolo, irregularitatem ex defectu natalium multipliciter auferrì posse. Primò, per subsequens matrimonium casu quo parentes tempore copulae habiles ad contrahendum extiterint. Nam matrimonium subsequens quasi retrahitur usque ad conceptionis tempus ex iuris Canonici benignitate, & prolem antea susceptam legitimam reddit. *c. Tanra, qui filii sint legitimi.* Deinde tolli potest per absolutam legitimationem Pontificis: alius enim non potest ad effectus iure Canonico inductos hos irregulares legitimare. Solum Commissarius Cruciatæ potestatem habens dispensandi in matrimonio irritato ob occultum impedimentum affinitatis ex illicita copula, quando in vno ex contrahentibus adsuit bona fides: potest etiam legitimare prolem in foro conscientiae quoad Ordines, & beneficia. Tertio aufertur dispensatione. Differt autem dispensatio à legitimatione, quia legitimatio est quoad omnes effectus,

estque quædam habitus personæ, & ad primariam naturam illius restitucio: dispensatio verò respicit effectus, radicali personæ inhabilitate remanente: unde legitimatio est late interpretanda, secus dispensatio. Dispensatus simpliciter ad ordines, intelligitur ad minores solum: & dispensatus ad beneficium, de vnicò & simplici intelligitur. Dubitatur verò, an ex vi huius dispensationis possit illegitimus obtinere aliud beneficium, primò, ad quod dispensatus est, relicto?

Non potest. Quia dispensatio est stricti iuris. Et quia in c. 1. §. ille verò, de filiis, Presbyter, Non potest dispensatus ad beneficium, potest vnicum tantum obtinere. Sic Couat. l. 4. Decret. d. c. 8. §. 8. n. 5. Sayr. l. 6. thes. c. 1. §. 1. fine, & alij relati à Sancio l. 8. de matr. d. 31. n. 6.

Potest equidem successiue plura beneficia obtinere. Quia vno relicto, ad quod dispensatus erat, alius acquirit: unde nunquam duplici beneficio fruatur, sed vnicò ad quod dispensatus est. Ita Sanch. citatus, n. 11. Et probabile reputat Castro Palao de Cen. d. 6. p. m. 10. n. 6.

Certè licet quilibet possit plura beneficia simplicia, quorum quodlibet congrue sustentationi non sufficit obtinere absque dispensatione: illegitimus hac potestate priuatur, unde licet dispensatus sit ad beneficium, non censetur dispensatus nisi ad vnicum tantum: sed successiue vno relicto, & alio acquisito, dicitur vnicò tantum beneficio frui, at quidem dispensatus est. Addiderim, dispensatum ad beneficia Curata, non censeri dispensatum ad Canonicatus, vel dignitates Cathedralis ecclesiae. Quia sunt omnino diuersa, & proprietate eorum qualificationem debent necessariò exprimi. Nec sub dispensatione ad dignitates comprehenditur dignitas maior Ecclesiae Cathedralis: & principalis Ecclesiae Collegiatæ.

DUBIUM XXXII.

Si beneficio simplici (ad quod obtinendum cum illegitimo dispensatur) annexum sit Beneficium Curatum: impediturne dispensatio?

Certum est Pontificem dispensare posse in irregularitate ex defectu natalium dimissa. Quia ab illo irregularitas emanauit. Sane De Episcopis verò omnes tenentur concedere posse dispensare cum quocumque illegitimo ad ordines minores, & beneficium simplex. Quia sic habetur. *cap. 1. de filiis Presbyterorum. in 6.* Quæstio autem est, si huic simplici sit annexum Curatum, an dispensatio impediat?

Impeditur quidem. Quia Episcopo non est datum posse cum illegitimo ad beneficium Curatum dispensare: ergo si simpliciter Curatum beneficium annexum, dispensatio impedietur. Sic Sayrus l. 6. thes. c. 1. §. 1. n. m. 12. alios referens.

Non impeditur Quia accessorium sequitur. Nec impeditur naturam principalis, cui adheret. Ita Corza. d. 1. Reg. 8. Cancell. glossa §. 7. n. m. 8. Barbosa p. 2. de potest. Episcop. alleg. 45. n. 24. Valquez de benef. c. 3. §. 1. dub. 3. n. 7.

Hoc

Se&.II. De Irregularitate Dubia. 347

189 *Probabilius* Hoc probabilius iudico, monens, hanc concessionem non extendi ad suum familiarem triennalem illegitimum quo cum nequit dispensare Navar. *Conf. 27. de tempor. ordinat.* *Auila p. 7. d. 3. concl. 2.*

DUBIUM XXXIII.

Potestne Episcopus cum illegitimo dispensare ad Canonicatum, & integras portiones Cathedralis Ecclesie?

190 *Nonnulla* *suppono.* *I*vre antiquo spectato, poterat dispensare. Quia sub beneficio simplici comprehendatur Canonicatus Ecclesie Cathedralis, cum nec sit dignitas, neque personatus, sed beneficium simplex residentiam requirens. At spectata dispositione Tridentini *ses. 24. c. 12.* annexis omnibus canonicatibus, & integris portionibus Ecclesie Cathedralis Ordinem Sacrum, dubito, an possit Episcopus cum illegitimo dispensare ad Canonicatum, & integras portiones Cathedralis Ecclesie?

191 *Non potest* *dispensare.* Non potest dispensare. Quia Episcopis interdicta est ad Sacros Ordines cum irregulari illegitimo dispensatio; ergo consequenter censetur ad beneficium cui Sacri Ordines anteauntur erit interdicta, si quidem absque illorum susceptione nequit beneficium retineri. Sic Henric. *l. 1. c. 8. n. 10.* Sayr. *l. 6. thes. c. 11. n. 13.* Garcia *de benef. p. 7. c. 2. num. 65. & 68.* Barbosa *de potest. Episc. p. 2. alleg. 45. n. 24. & 32.* Bonac. *to. 3. d. 7. q. 2. punct. 3. sine. Lessli. l. 2. c. 34. dub. 18. n. 86.* & alij apud ipsos.

192 *Dispensare* *potest.* Dispensare potest. Quia Canonicatus, & portio integra Cathedralis Ecclesie non requirit Sacrum Ordinem actualiter, hoc est, cum recipitur, sed solum ut intra annum accipiatur: ergo stare potest, quod Episcopus ad praefatum beneficium cum illegitimo dispense, quin dispensatione concedat ad Sacros Ordines accipiendos. Unde illegitimus poterit ex Episcopi dispensatione Canonicatum, & postmodum adire Pontificem, ut ad Ordinem Sacrum dispensationem concedat, alias Canonicatum, vel portionem renunciabit. Ita Azor. *p. 2. l. 6. c. 1. q. 15.*

193 *Prima sententia ad hanc.* Prima sententia omnino adhaereo. Satis enim est, Sacrum Ordinem ex obligatione suscipiendum annexi Canonicatui, aut portioni, ut non possit Episcopus cum illegitimo dispensare, quandoquidem ad Ordinem Sacrum nequit. Nam eo ipso quo Ordo Sacer Canonicatui annexitur, debet Canonicatum suscipiens habilis ad eum Ordinem suscipiendum existere, quod absque Praeulii summi dispensatione non potest. Attamen concessa Pontificia ad Sacros Ordines dispensatione, optime poterit illegitimus ex Episcopi dispensatione ad Canonicatum, seu portionem Ecclesie Cathedralis, & ad quodlibet aliud beneficium simplex Ordinem Sacrum requirens promoveri. Quia cessat obstaculum. Lessi. *citatus.* Ad dimidiam vero Ecclesie Cathedralis portionem, & ad Ecclesie Collegiatæ Canonicatum est Episcopis ad dispensandum potestas concessa *c. 1. de filiis Presbyterorum.* cum illegitimis. Quia non habent Ordinem Sacrum annexum.

DUBIUM XXXIV.

Cum illegitimo, cuius defectus occultus est, potestne Episcopus dispensare ad Sacros Ordines suscipiendos, &c.

*C*ertum est, Episcopum non posse ad Sacros Ordines, & ad beneficium Curatum, dignitatem, & personatum cum illegitimo dispensare. *Cap. fin. de filiis Presbyterorum.* Dubito autem num id possit Episcopus, si natalium defectus sit occultus?

Potest profecto. Quia ex *cap. Cum priorem, de renunciat. & ex Tridentino ses. 24. capit. 6.* potest Episcopus dispensare in omnibus irregularitatibus, quae ex delicto occulto proveniant, neque Concilium distinguit, an delictum debeat esse proprium, an alienum maxime cum hac facultate late sit interpretanda, ut potest beneficium Principis, & iuri communi in fertum. Adde Tridentinum ideo Episcopis concessisse potestatem dispensandi in irregularitatibus, ne animae illaqueatae essent, si obligarentur Sedi Apostolicae crimina, ad dispensationem obtinendam, detegere: quae ratio in praesenti locum habet. Sic *Auila p. 7. d. 3. dub. 7.* Inclinat Henr. *l. 14. c. 8. n. 10.* Probabile reputat Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 5. n. 2.* Coninchque *d. 18. dub. ult. sine.*

Non potest. Quia haec irregularitas per se non provenit ex delicto parentum immediate: nam esto parentes matrimonio non coniuncti ex defectu libertatis a culpa excludantur generatione filij, filius aequè irregularis esset, ac quando genitus est a parentibus culpam perpetrantibus. Quia non ex parentum culpa, haec irregularitas nascitur, sed ex indecentia, quam contrahit filius, eo quod genitus sit a parentibus matrimonio non coniunctis. Ad irregularitates autem ex indecentia provenientes, est fundamentum habent in aliquo crimine, non datur in Tridentino facultas Episcopo dispensandi. Ita Navar. *summ. cap. 27. num. 194.* Vgolin. *tract. de irregul. cap. 14. §. 2. num. 4.* Suar. *disp. 5. o. sect. 5. numer. 5.* Bonacin. *tom. 1. disput. 7. questio. 2. punct. 3. sine.* Coninch, & Layman locis alleg. Hurtad. *de irregular. difficultat. 20. numer. 65.*

Veriorē hanc sententiā esse credo, idque in praxi observatum esse video. Probabilius autem sustineri posset, Episcopum dispensare posse cum illegitimo bona fide Sacris initiato, ut in susceptis Ordinibus ministret. Quia per ipsam ordinationem bona fide susceptam videtur ius aliquod ad usum accepisse. Henriquez *lib. 12. cap. 20. num. 2. & lib. 14. capit. 8. num. 10.* *Auila part. 6. disputat. 3. dub. 6.* Laym. *lib. 1. tractat. 15. part. quint. cap. 5. numer. secund.* Favet *Cap. Lugdunensis. 9. questio. 2. & ibi Glossa.*

CAPVT XIX.

Circa Irregularitatem ex defectu animæ, & corporis prouenientem.

DVBIVM XXXV.

An Episcopus possit in Irregularitate orta ex amentia non perpetua, dispensare?

198
Nonnulla
recolo de
ignorantia
& amentia.

REcolo ignorantiam, quæ ministerium Ordinis exercere non permittit, constituere hominem irregularem. Hæc autem ignorantia non est illius scientiæ, quæ à Tridentino *ses. 23. c. 4.* pro singulis Ordinibus requiritur, sed quæ vsum Ordinis suscepti omnino impedit. Defectus vero scientiæ à Concilio requisitæ impedit sub graui piaculo, ne constante Ordo suscipiatur. Certè amentia (quæ est alter animæ defectus) constituit irregularem, non solum quando est perpetua; sed & quando fuit ad tempus, ita ut licet sanitatem quis recuperauerit, adhuc sine dispensatione promoueri non possit. *Cap. Maritum. 33.* Quod intellige de amentia, quæ est per modum habitus, scilicet fundata in naturali complexione, & propria organorum læsione: non de illa, quæ profluit ex aliqua febre, aut qualitate transeunte, qua cessante cessat amentia. Quæserim vero, num in huiusmodi amentia non perpetua irregularitate possit Episcopus dispensare?

199
Potest quidem.

Potest quidem non solum ad utendū Ordinibus susceptis, sed etiam ad illos suscipiendos. Quia recuperata iam sanitate aptus fit quisque ad Ordinum exercitium, & examen vero huiusce aptitudinis videtur ad Episcopum immediatum Pastorem, quam ad Pontificem pertinere, Sic Maior. *de irregul. l. 2. c. 14.* Indicat Sayr. *l. 6. thes. c. 13. n. 3.*

200
Non potest.

Minimè potest. Quia nullibi inuenitur Episcopo potestas huiusmodi concessa. Ita Suar. *d. 51. thes. 1. n. 5.* Bonac. *to. 1. d. 7. q. 2. pun. 2. n. 23.* citans alios.

201
Hoc probabilius.

Probabiliorem hanc reor esse sententiam. Nam cum non adsit textus hanc dispensandi potestatem impertiens Episcopo, cogimur asserere solius Pontificis autoritate posse ordinibus initiari, qui semel in amentiam per modum habitus incidit.

DVBIVM XXXVI.

Ignorantia, quæ ministerium Ordinis exercere non permittit, consistitne irregularem?

202
Non cõstituit irregularem.

Non cõstituit irregularem. Quia in *c. Illite. rator.* non dicitur, huiusmodi ignorantia irregularē efficere, sed præstare impedimentū Ordinis suscipiendi. Sic Henr. *l. 10. de Ordine. c. 16. n. 2.* Garcia *de benef. p. 7. c. 7. n. 19.*

Irregularem constituit. Quia indico *c. Illite. rator*: eodem modo accentur à suscipiendis Ordinibus illiterati, ac vitati corpore. Sed corpore vitati in omnium sententia irregulares sunt: ergo etiam hi illiterati irregulares erunt. Ita Nauar. *sum. c. 27. n. 205.* Sayr. *l. 6. thes. c. 6. n. 5.* Suar. *d. 51. thes. 1. n. 8.* Auila *p. 7. d. 4. dub. 1.* Bonac. *to. 1. d. 7. q. 2. pun. 1. num. 2.* & alij apud ipsos.

Si tanta sit ignorantia, ut ministerium Ordinis exercere non permittat, constituit. Hæc probabilius.

DVBIVM XXXVII.

An Hermaphroditus, in quo sexus virilis, & femininus aque inualefcit, sit iure diuino incapax Ordines suscipiendi?

INTER defectus corporis primo potest enumerari possessio vtriusque sexus virilis, ac femineæ: in quo si præualeat sexus femineus, incapax esse videtur characteris suscipiendi. Quia absolute femina, & non vir esse reputandus. Quæserim autem, an ille, in quo æque sexus virilis & muliebris inualefcit, sit iure diuino incapax Ordines suscipiendi?

Incapax non est: Quia nequit absolute femina reputari. Sic nonnulli, quorum sententiam non esse reiiciendam omnino, indicat Palao *de cens. d. 6. pun. 1. n. 1.*

Incapax iure diuino est. Quia nequit absolute vir reputari. Ita plures Doctores, quos citat Sayr. *l. 6. thes. c. 8. n. 24.* & Bonac. *to. 1. d. 7. q. 2. pun. 2. n. 15.*

Ego quidem existimo æque id incertū esse in vtraque sententia: cum neque absolute vir, neque absolute femina ille sit appellandus.

DVBIVM XXXVIII.

Hermaphroditus, in quo sexus virilis præualeat, si defectus notus sit: estne irregularis?

SI defectus non sit notus, irregularem non esse, plures censent. Toletus *l. 1. c. 63. n. 6.* Martin. Fornar. *de Ord. c. 3. n. 1.* Quæstio vero est, an sit irregularis, si defectus sit notus?

Irregularis non est, quia non est irregularis eunuchus à natura, & qui in pede habet sex digitos: non enim videtur esse deformitas deformitatem causans. Haud aliter huiusmodi hermaphroditus. Sic Gaspar Hurtad. *de irregul. lar. difficul. 14. numer. 52.*

Est irregularis. Quia hæc monstruositas indecentiam scientibus non mediocrem exponit. Ita Bonac. *to. 1. d. 7. q. 2. pun. 2. n. 15.* Suar. *d. 51. thes. 1. n. 1.* Glof. & Archid. *ad c. 3. rellis. v. Hermaphroditus. 4. q. 3.* Nauar. *sum. c. 27. num. 203.* & conf. *8. de etate, & qual. ordinan. l. 1.* Sayr. *thes. c. 8. n. 24.*

Negare non potest, eam monstruositatem, si nota sit, magnam indecentiam continere. Vnde probabilior longè secundam sententiam.